



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

IV. De feriis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

sum, vbi expedire viderint, faciant publicari, prædictosque iudices excommunicatos publice nuntiari.

## IV.

Quamuis diuinæ legis præcepto sancitum sit, diebus dominicis & festiuis ab omni opere serui-  
li abstinere: nonnulli tamen huiusmodi transgre-  
dientes præceptum, & rusticalia opera & artificia  
manualia diebus prædictis exercere præsumunt.  
Ne igitur ex transgressione huiusmodi fidelis po-  
pulus indignationem Dei omnipotentis incurrat,  
statuimus, vt nullus in diebus dominicis & festiuis  
agros colere audeat, aut artificia manualia exercere  
præsumat, nisi vrgente necessitate vel euidenti pie-  
tatis causa, & tunc de speciali licentia sacerdotis.  
Transgressores autem præsentis constitutionis per  
excommunicationis sententiam a suis ordinariis  
puniantur.

## V.

Causarum & litium dispendiosa protractio,  
quæ plerumque per falsorum testium dicta & aduo-  
catorum malitiam procuratur, quatenus fieri po-  
terit, iuris est auxilio restringenda. Ideoque statui-  
mus vt falsi testes, aduocati, mediatores, & aliter eos  
inducentes ad falsa testimonia perhibenda, ipso fa-  
cto sententiam excommunicationis incurrant, a  
qua, nisi postquam eis satisfecerint, quibus damna  
per depositiones & inductiones huiusmodi illata  
sint, nullatenus absoluantur: præsentem vero con-  
stitutionem prælati faciant in suis ecclesiis cathe-  
dralibus & parochialibus diebus solennibus & in  
Synodis publicari.